

Francisco Suárez, S. J.

DE BONITATE ET MALITIA HUMANORUM ACTUUM, DISP. 6, S. 3

et ex objecto nullam, ad quod potest citari D. Thomas, in illo a. 6, nam universaliter dicit finem dare speciem actui interiori, atque ita quoslibet actus habentes, eundem finem habere eandem speciem bonitatis, etiamsi in objecto differant. Pavent etiam link opinioni qui dicunt bona opera, quæ ex æquali intentione, et relatione charitatis procedunt, esse a>que meritoria, quantumcumque ei objectis videantur iniqua, quomodo interpretantur: quod Christus dicit, Marc. 12, de muliere, quæ obtulit duo minuta, plus scilicet alius obtulisse, quia ex relatione, ac majore charitate fecit, et quod ait Augustinus, Hb. de Bono conjugali, cap. 19 et 23. Conjugium antiquorum patrum fuisse sequere bonum, ac virginitas, est novæ legis, quia ex eadem intentione. Significatur ergo in hac sententia in hujusmodi actibus nihil esse bonitatis, nisi quia ex fine desumitur. Et ratio adhiberi potest, quia etiam respectu talis actus finis, est formale, reliqua vero ut materialia: et confirmatur, quia unus actus non potest simul esse in duabus speciebus, sed hic actus de quo agimus, habet aliquam speciem ex fine: ergo ex objecto nullam habet: ergo dicitur bonitatem. Deinde si finis ille malus esset, et daret tali actui illam speciem, nullam in illo relinqueret bonitatem, necque speciem ex objecto; ergo idem est, si finis, sit honestus distinctæ speciei.

8. Secunda opinio esse potest, illum actum ad hunc bonitatem ex objecto, ex fine autem nullam, prior enim pars videtur ex terminis nota supposita declaratione data, in n. 6, nam hic actus, de quo agimus, in hoc differt a primo et secundo numero, in 1 et 2 puncto, quod tendit in honestum propter bonitatem ejus: ergo in hoc etiam differt a cæteris actibus, quod ab hoc objecto sumit propriam intentionis speciem. Probatur consequentia, quia tunc illud objectum formaliter concernit in ratione unius proximi, ergo significat: tum etiam, quia si illud objectum eodem prorsus modo solum concurreret, daret speciem suam: sed ordinatio in ulteriorem finem nihil tollit de boni lato, vel casualitate ejus: tum etiam, quia ille actus imperatur ab alio actu respiciente finem, ut habeat in propria specie suam bonitatem, ut supra explicatum est, sed illam habere non potest nisi ab objecto suo: hæc pars indubitata videtur. Altera vero probanda est, retorquendo argumenta prioris sententiæ, in n. 7, quia unus actus tantum esse potest in una specie, et quia supposita specificatione ex objecto non potest satis intelligi, aut explicari quod addat actui tali relato in ulteriorem finem illa ratio: Item quia ille actus, ut terminatus ad suum objectum habet rationem intentionis, vel amoris boni propter se ipsum: ergo ut sic, non potest habere rationem electionis, nam quamvis probabile sit eundem numero actum respectu diversarum rerum posse simul esse intentionem, et electionem tendendo in unam propter se, et in aliam propter aliud: tamen respectu unius, et ejusdem rei, seu materialis objecti non potest idem actus esse intentio, et electio, quia non potest voluntas amare uno actu eandem rem propter se, et propter aliud, ut supra dictum est: ergo talis actus solum habet bonitatem per modum intentionis, et non per modum electionis: ergo ei objecto, et non ex fine.

9. Prima assertio in hoc tertio puncto.—Dicendum primo: illum actum esse simul bonum ex objecto, et bonitatem aliquam ex fine participare: hæc est sententia D. Thomæ frequenter repetita, nam in 2, quæst. 48, art. 4, in genere dicit actum humanum posse simul habere bonitatem ex objecto et fine, et art. 6, idem specialiter dicit de actu exteriori: sed, ut bene Gajetanus exposuit, doctrina illius articuli non est limitanda ad actus aliarum facultatum a voluntate, sed extendenda ad actus imperatos ejusdem bonitatis, etiamsi simul sint elicitum. idem D. Thomas 2, quæst. 83, art. b, dicit

actum unius virtutis ordinatum ad finem alterius participare speciem ejus, idem, q. 147,

art. 2, ad 2, et quæst. Ðl, art. 10, et 3 part., quæst. 85. art. 2, ad et alia loca statim adnotabo. Idem Alexander, 2 part., quæst. 96, Membr. 2, art. 1, Cajetanus, hic, et alii.

10. Quidam argumentis continent iir.—Convincitur quoque assertio argumentis factis, et sic declaratur, quia hujusmodi actus, de quo agimus, simul est elicitus ab una virtute, et imperatus ab alia, ut constat ex supradictis exemplis; ergo necesse est ut participet bonitatem a virtute eliciente, quia non potest virtus elicere actum nisi sibi similem, vel illis, a quibus generata est, quia sicut non potest virtus ferri extra objectum suum, ita non potest elicere actum, nisi qui aliquam speciem summat ab objecto suo. Quisquis quicumque actus imperatur ab actu bono, ut sic, participat. t aliquo modo bonitatem ejus, si aliunde non habeat repugnantiam: sic enim actus exterior est bonus, quia imperatur ab actu bono, unde ad eandem speciem revocatur: ergo etiam actus voluntatis quatenus imperatus ab alio actu bono participat. t bonitatem ejus. quod confirmatur, nam actus indifferens ex objecto et specie sua, si in individuo fiat ex imperio boni actus, per quem refertur in bonum finem, est simpliciter bonus: ergo actus imperans communicat bonitatem actui imperato: ergo communicabit illam, etiamsi talis actus imperatus alias sit ex objecto bonus, nam bonitas non repugnat. t bonitati.

11. Secunda assertio bipartita.—Dicendum secundo: in tali actu bonitas ex objecto, est essentialis et substantiata, altera vero ex fine tantum accidentalis. Hæc sumitur ex D. Thoma 1, 2, quæst. 19, art. 2, ad I, ubi cum docuisset actum interiore a voluntate elicited habere ex solo objecto bonitatem utique substantialem et essentialem, in solutione ad primum dicit ex fine non habere bonitatem, nisi ex accidenti, quatenus finis ordinatur ad finem et intentio ad intentionem, quæst. 13, art. 1, dixit, si quis exerceat actum fortitudinis propter Dei amorem, illum actum materialiter esse fortitudinis, formaliter vero charitatis: statim vero explicat illud materialiter, id est, substantialiter, quia ille secundum substantiam suam substruitur alteri relationi, et dicitur comparari ad illam veluti materialiter: idem constat ex eodem D. Thoma 2, 2, quæst. 32, art. 1, ad 2, et in 4, d. 15, quæst. 1, art. 1, quæst. 3, ad 15, et quæst. 3, art. 1, quæst. 3, et d. 16, quæst. 3, art. 1, quæst. 2, ad 3, ubi disertè dicit ex fine operantis non accipere actum propriam speciem, sed quasi communem. secundum quod actus imperatus inducit speciem virtutis imperantis præter eam, quam habet ab homine eliciente: in eadem sententia est Cajetanus, q. 19, art. 6, nec dissentit Conradus, ibi, quamvis soleat in contrarium citari.

12. Ratio multiplex pro priori parte.—Ratio autem convincit, nam prior pars de specie substantiali ex objecto probari potest ex omnibus supra dictis de specificatione objecti. Item quia probatur supra actum habere speciem substantialem ab ea virtute, a qua elicited, quia ab ea proxime, et per se fit: sed hic actus elicited a virtute respiciente objectum: imperatur enim ab alia, quæ respicit finem: ergo habet speciem substantialem ex objecto. Item quia proxime, et per se respicit objectum materiale sub proprio, et intrinseco formali. Tandem, quia hæc species est invariabilis in tali actu, voluntas enim dandi elemosinam propter honestatem illius objecti, semper est in specie misericordiae, sive referatur in finem penitentiae, sive religionis, sive in quodcumque aliud bonum. Atque hinc fere probata manet altera pars, quia relatio in ulteriorem finem accidit tali actui, et potest adesse, et abesse, item quia imperium respecta substantialis actus imperati est quid extrinsecum, et accidentale per modum cujusdam dependentiae a causa extrinseca, sine qua posset actus conservari a causa eliciente, præsertim in actibus voluntatis, qui per se sunt voluntarii: atque hæc pars evidentius constabit ex sequenti dubio.

13. Solum occurrit hic liberale dubium propter articulum septimum quæstionis 18, in 1, 2, D. Thomæ, satis obscurum: docet enim quando actus sumit bonitatis speciem ex objecto et fine remoto, speciem sumptam ex objecto esse Ðy 11 ini. i in: quæ. vero sumitur ex fine remoto esse genericam, seu sub alteram: non ergo est accidentalis, ut diximus, sed essentialis, quamvis communis, et generica, et Ad uget difficultatem, quod dicit 2, 2, quæst. 11, art. 1, ad 1, speciem sumptam ex objecto contineri sub specie sumpta ex fine, sicut speciem sub genere, et adhibet vulgatum

exemplum de furto facto propter mæchiam, et in hæresi propter superbiam. Unde videtur loqui de fine omnino extrinseco, et per accidens.

14. Respondetur ad prius testimonium: duo docere D. Thomam in illo articulo. Unum est quando finis est omnino extrinsecas objecto, et additur ex sola relatione operantis, tunc ex objecto, et fine duas species sumi non per se,

sed per accidens subordinatas, et in hac parte confirmat. t D. Thomas doctrinam a nobis traditam. Secundo dicit, quando finis et objectum sunt per se ordinata, tunc speciem ex objecto comparat ad speciem ex fine, sicut speciem ad genus, et hæc pars per se est difficilis in omni sententia, et ratio est, quia tam objectum, quam finis dat suam speciem ultimam. De objecto D. Thomas id docet, in citato loco 1, 2. De fine etiam constat, quia respectu intentionis, habet finis rationem objecti, et idem est respectu electionis quatenus ordinatur ad ipsum, quod adeo verum est, ut licet contingat finem esse rationem aliquam universalem, ut est in exemplo D. Thomaa, intentio fortiter operandi, nihilominus Ula ratio respectu intentionis habet rationem objecti dantis ultimam speciem, sicut supra dictum est, disp. i, sect. 1, num. decimo quarto de hoc actu, Volo honeste vitare: quo circa Conradus, ibi, quern aliqui sequuntur, exponit D. Thomam loqui de pura electione, qua ex objecto non habet aliam speciem, præter earn, qua; sumit ex fine. et hanc dicit contineri sub intentionem ejusdem finis tanquam speciem sub genere, non proprie, et in rigore, utendo his vocibus, sed eo modo, quo ratio quælibet particularis et universalis possunt comparari, sicut genus et species, quia intentio est veluti quid universale respectu variarum electionum. Sed non placet expositio, tum quia est nimis violenta. et præter proprietatem verborum: tum etiam. quia aperte D. Thomas loquitur de voluntate: quæ ex objecto habet speciem aliquam distinctam ab ea quam habet ex fine, ut patet ex priori parte illius articuli, et ex alio loco, in 2, 2.

lo. Secundo dici potest D. Thomam loqui de fine, et objecto per se ordinatis, ita ut utrumque sit per se amabile, et sufficiens ad dandam speciem bonitatis, quod in objectis bonis maxime contingit, quando illa duo non solum se habent, ut finis et medium, sed etiam quasi totum et pars, sed tanquam bonum universale, et particulare, ut se habent intentio religionis, et electio hujus, vel illius religionis, et exemplum D. Thomæ ejusmodi est: si quidem intentio fortiter agendi, et voluntas aggrediendi pericula belli hoc modo componatur, nam hoc objectum intrinsece claudit in se honestatem fortitudinis: quando ergo finis, et objectum se habent hoc modo, dicuntur tribuere speciem genericam, et specificam; sed est ultimo advertendum duobus modis posita tunc intendi finem et objectum. Primo diver

sis actibus formaliter tendendo altero in finem, altero in objectum, quorum unus imperat alium, seu manat ab alio, quando fit isto modo, non potest in proprietate intelligi quod species ex fine et objecto comparentur, ut species, et genus, ut concludit ratio in principio facta: et præterea, quia tunc accidentarium est actu circa objectum particulare, quod supponat formalem intentionem finis universalis, posset enim per se fieri ex vi proprii objecti tantum, et tunc tandem haberet speciem, et idem genus essentialia. Si ergo D. Thomas exponatur de hac electione et intentione, necessario dicendum est locutum esse de genere et specie, non logice, sed moraliter et late, quia illa intentio comparatur ut universale quid ad aliam voluntatem: ac si quis dicat scientias particulares contineri sub habitu principiorum, sicut species sub genere. Secundo autem modo intelligi potest hujusmodi finem, et objectum eodem actu amari, quia talis finis universalis non amatur ut in se abstracte et practice propositus, sed tantum ut contentus in objecta particulari, et tunc ille actus ex objecto bonus non refertur ad illum finem speciali relatione operantis, sed ipse natura sua tendit in illum, et ideo bonitas tunc sumpta ex fine et objecto, non sunt re distincte, sed ratione tantum, et illa quæ est ex fine, est veluti generica, et alia ut specifica, sicut bonitas justitiae comparatur ad bonitatem justitiae commutativæ, in hocque sensu cessat. t omnis difficultas, neque est contra doctrinam datam, quæ procedit de speciesumpta ex speciali intentione, et relatione operantis.

16. Alterum D. Thomæ testimonium minorem habet difficultatem, quia non dicit divus Thomas determinate illa duo comparari, ut speciem, et genus, sed sub disjunctione dicit speciem ex objecto et fine se habere velut speciem ad genus: vel, ut effectum ad causam: quæ doctrina est

universaliter vera: nam quando illa duo proprie sumuntur ex propria relatione, et imperio operantis, tunc comparatur, ut effectus et causa: quando vero relatio in finem est quasi intrinsece innata in ipsamet objecti bonitate, tunc cooperantur ut genus, et species: nos autem locuti sumus priori modo, non repugnant. tunc autem comparari, ut effectus et causam, et dare speciem accidentalem: quia illa causa, vel est finalis remota, vel imperans, et hæc in moralibus dant speciem accidentalem.

17. Satisfit adductis pro prima opinione in num. 1.—Quid ad argumentantur secunda opinionis in num. 8.—Ad fundamenta prioris sententiæ ÁIJ. Thomæ satis dictum est, de illa vero sententia, quod actus relati in eundem finem, sunt æquales in bonitate, vel merito, etiamsi in objecto sint inæquales, dico esse incredibile et improbabile, et de bonitate quidem patet ex dictis: de merito autem, in materia de gratia dicendum est, et uunc sufficiens ratio fit, quod meritum in bonitate fundatur, imo addo hoc non solum esse verum, quando actus ordinantur in finem, et habent proprias bonitates ex objectis, sed etiamsi sint puræ electiones, nam, ut supra dixi, sect. 2, numero decimo quarto, in eis etiam potest esse inæqualitatis propter majorem proportionem, vel conjunctionem cum fine, quæ est etiam aperta doctrina D. Thomæ 1,2, q. 19, a. 18, igitur in Evangelio non est laudata solum a Christo elemosina illius vetulæ propter intentionem, sed etiam propter objectum, cujus quantitas non absolute, sed respective consideranda est juxta facultatem dantis, quod satis explicavit Christus Dominus: Omnes enim, inquit, ex eo quod abundabat illis, miserunt, hæc autem de penuria sua omnia quæ habuit, misit. Augustinus similiter non loquitur de sola intentione charitatis, nec negat voluntatem virginitatis esse simpliciter meliorem ex objecto, voluntate matrimonii, etiamsi contingat haberi propter eundem finem, imo id sæpe affirmat. tunc in eodem libro, sed dicit tantum posse superare intentionem conjugii in fine, seu ratione volendi, ut excedat. tunc voluntatem virginitatis, ut si fiat ex intentione obedientiæ, vel intentione procreandi Christum, quæ erat in antiquis Patribus. Ad rationem ibi positam jam declaratum est, quomodo idem actus possit participare duplicem speciem, et magis patebit ex dubio sequenti. Argumenta secundas sententiæ admittimus omnia quæ probant priorem partem, quæ autem in secunda parte adducta sunt, petunt sequentem quæstionem.

<361> *Utrum actus ex objecto bonus possit habere bonitatem aliquam ex fine extrinseco.*¹

1. Primum punctum in hac quæstione resolvitur.—Tribus modis contingere potest actum voluntatis versari circa honestum objectum in ordine ad ulteriorem finem. Primo volendo tanquam materialiter illud objectum, quod in se est aliud honestum, non tamen volendo illud propter tale honestatem, imo nec per se volendo honestatem ipsam objectivam, sed solum per accidens. Exemplum est, si quis vellet abstinere a pretioso cibo solum, ut habeat, verbi gratia, elemosynam, et largiatur; est enim illud medium objective honestum intra latitudinem temperantiæ; tamen per illum actum, neque est volitum propter illam honestatem, neque illa honestas per se, sed in se volita: et ratio est, quia illud medium non est utile ad illum finem ratione illius honestatis; sed præcise ratione illius materiæ, et de hoc actu nulla est difficultas, quin solum habeat honestatem a fine, et non ab objecto, tum quia est pura electio, tum quia quod est per accidens in objecto volito ut sic, non specificat voluntatem, ut supra dictum

est, et evidentius patebit ex puncto sequenti.

2. Secundum punctum exponitur.—Secundo fieri potest, ut objectum honestum non sit quidem volitum propter suam honestatem, Pius lamen honestas sit in se, et per se volita propter alium finem, ut propter rationem proximam volendi, quod imprimis potest in aliis rationibus boni explicari, nam si aliqua actio delectabilis, ratione $\tilde{N}\tilde{N}\tilde{D}\tilde{y}\tilde{N}\tilde{L}$ delectationis sit utilis ad alium finem, salutem, verbi gratia, v \hat{A} z;l studium, tunc non solum materialiter illa actio, sed etiam ejus delectatio potest in se, et perse amari, non tamen propter se, sed præcise propter aliud bonum ad quod est utilis.

Simile autem est in bonis honestis aliquando, nam uiuum potest esse utile ad aliud, non solum ratione suæ materiæ, sed etiam ratione sus honestatis, et tunc potest quidem honestas unius objecti, vel actus in se amari, licet non ametur propter se præcise, sed propter alium finem. Exemplum sit, si quis intendat beatitudinem consequi, et ideo velit meritorios actus efficere, et propterea eligat exercere amorem Dei, tunc hæc voluntas electionis habet pro objecto exercitium amoris Dei, quatenus meritorium est; et ideo per se, directeque vult honestatem ejus, quia ille actus meritorius est ratione suæ honestatis, non tamen vult illum propter honestatem ejus, sed propter gloriam obtinendam.

3. Deciditur ex communi sententia.—De hujusmodi ergo actu omnes etiam fere conveniunt habere bonitatem essentialem, et primam ex fine, non autem ex objecto materiau, neque ex honestate ejus: ita potest sumi ex D. Thoma, 1, 2, quæst. 18, art. 6, ubi Conradus et Cajetanus, art. 4 et 6, idem sentiunt. Idem D. Thomas 3, contra Gentes, cap. 138, ubi signi \tilde{A} ijcat abstinentiam factam in honorem Dei habere bonitatem religionis, non tamen temperantiæ, ubi Ferrariensis, in quadam responsione 2, ad quoddam litterale dubium, idem indicat, similiter Almaiuis, in 3, d. 23, p. ubi dicit ex Ocbam et Martino, si quis velit perferre mortem propter castitatem, illum non esse fortitudinis actum, sed castitatis: verum est, hase, et similia verba intelligi posse juxta prius punctum. Item Oeham, quæst. 12, artic. 2, d. 3, a. 3, p. 1, illius conclusionis secunda¹, Martinus, tractatu de Temperantia, quæst. 1. Et ratio colligitur ex dictis, quia fi-

nis tunc se habet, ut objectum formale proximum talis actus, et $\text{D}^{\text{e}}\text{D}^{\text{e}}\text{N}^{\text{e}}\text{C}^{\text{e}}\text{D}^{\text{e}}$ aliud se habet, ut objectum materiale; ergo finis tantum specificat: nam dictum est bonitatem sumi ex formali objecto, et honestatem objecti non causare bonitatem in actu, nisi sit volitum objectum propter ipsam: et confirmatur, nam talis actus elicitur a virtute, quæ respicit illum finem, ut colligi potest ei D. Thoma, 3 p., quæst. 81, art. 2 et i, ubi tractat. t de voluntate detestandi peccatum et ex generali ratione, quia eadem facultas, et idem habitus inclinart. t in finem et in medium ad finem, ut taie est, sicut eadem gravitas inclinart. t ad centrum, et motum in illud: sed per illum actum, de quo agimus, amatur totuin inateriale objectum, et honestas ejus, ut medium ad finem præcise: ergo est ehcitus a virtute tendente in illum finem, ergo habet speciem substantialem bonitatis suæ ab illo fine, quia, ut supra clixi, ille actus est elicitus a viitute, qui ab eo proxime fit secuudum substantiam suam.

4. Et hinc consequēiiter concluditur illum actum nullo modo esse a virtute, quæ versatur circa illud objectum propter honestatem ejus et consequēiiter nullam inde habere bonitatem. Prima sequela patet, quia ille actus non potest simul esse elicitus ab alia virtute, quia non potest idem actus proxime elici a duabus virtutibus, quia non potestæque primoconstitui induabus specibus inter se non subordinatis, ut supra ostendimus, neque etiam potest esse imperatusa tali virtute, quia virtus non imperat actum, nisi medio alio actu elicito; sicut voluntas non imperat exteriorem actum, nisi eliciendo interiorem. Et ratio est clara, quia hoc imperium est vitale, et ideo oportet ut sit per actum vite, potential oprantis, quia hoc imperium non est per immediatam effiĀōicntiam facultaris, vel virtutis imperantis, alias non distingueretur ab elicito; esset ergo efficiendum medio actu elicito; at in casu, de quo agimus, nulliis præcessit actus elicitus virtutis respicientis objectum secundum se, nam ille actus in intentione processit ab intentione finis, ut in exemplo supra posito ante illam voluntatem exercendi amorem Dei ob merit um nulliis præcessit actus elicitus a claritate a quo posset illa voluntas imperan; sed præcessit solum intentio propriæ beatitudinis quæ est actus spei. Denique bic possuntapplicari rationes omnes, quibus

supra probatura est non posse iuvin actum voluntatis babere simul duas species bonitatis a duobus objectis formalibus proximis: nam, in casu de quo agimus, finis est unum proximum objectum formale, et ideo honestas medii non potest etiam concurrere, ut formale objectum, sed solum ut materiale, neque etiam in hoc invenio auctores contradicentes, neque difficultates alicuius momenti.

5. Solum euim potest objici, quod ille finis additus non tollit ab objecto honestatem ejus, neque etiam impedit, quin illud objectum ametur, ut honestum est: cur ergo non habebit actus inde specialism bonitatis. Respondetur, licet tunc finis ab objecto ipso secundum se non tollat honestatem, tamen respectu operantis facit, ut non moveat illum, sed sola honestas finis, verbi gratia, cum dicitur illud objectum amari ut honestum, æquivocatio esse potest, nam si illud reduplicet proximam rationem amandi falsum est: si vero designet rem directe, et per se amatam verum est, non

tamen id sufficit ad sumendam inde speciem. Urgens: nam voluntas pro sua libertate potest ex utraque ratione moveri, et operari simul. Respondetur, si proxime ab utraque moveatur, non efficit unum, sed duos actus: si autem ab una proxime, et ab alia remote, jam erit tertius modus operandi, de quo dicemus modo.

6. Tertio modo potest voluntas ferri in objectum honestum propter bonitatem ejus intrinsecam, ordinando totum actum suum in ulteriorem finem honestum, ut in dicto exemplo, qui eligit amare Deum ob merendum, et ex vi hujus electionis statim excrcet amorem Dei, jam in illo amore amat Deum propter seipsum, et bonitatem ejus, hujusmodi enim amorem elegit, et talein exequitur, qualem eligit, quia hoc est de ratione efficacis electionis: ille ergo amor, et est propter honestatem objecti sui, et est etiam electus propter merendum.

1. Tertium punctum proponitur.—De hoc ergo possunt esse duæ externa; opiniones. Prima, quod talis actus habet bonitatem ex fine solum

1 The Latin text is from the Vivès edition.